

PONT.
A. XII.

LVIII.

DAMNATIO,

Et prohibitio cujusdam Folii continentis Theses, quas in Sorbona defendendas proposuit Joannes Martinus de Prades Sacerdos Moltalbanensis sub titulo: *Hierusalem Cœlesti. Quæstio Theologica: Quis est ille, cujus in faciem Deus inspiravit spiraculum vitæ? Gen. 27.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proce-
mum.

COMMISSA Nobis a Salvatore Nostro JESU CHRISTO Gregis sui cura exigit, ut Animarum periculis et detrimentis, quæ ex pravæ doctrinæ conatibus ad labefactandam Christianam Fidem pertinentibus oriuntur, Pastoralis sollicitudine, quantum cum Domino possumus, occurramus.

Folii cen-
sura, da-
mnatio,
et prohi-
bitio.

§. I. Cum itaque, sicut ad aures nostras pervenit, in lucem prodierit Folium quoddam quamplures continens Theses, quas in Sorbona defendendas proposuit Joannes Martinus de Prades Sacerdos Moltalbanensis sub titulo: *Hierusalem Cœlesti. Quæstio Theologica: Quis est ille, cujus in faciem Deus inspiravit spiraculum vitæ? Gen. 27.* Nos Folium hujusmodi nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque in Sacra Theologia Magistris examinandum commisimus; quorum censura audita atque perpensa, Folium prædictum tanquam continens propositiones respectivè falsas, piarum aurium offensivas, malè sonantes, temerarias, erroneas, blasphemias, impias, hæresi proximas, hæreticas, ac

faventes Deistarum, ac Materialistarum erroribus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium damnamus, et prohibemus: ita ut nemo deinceps, cujuscumque gradus, et conditionis existat, etiam speciali, et specialissima nota dignus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, illud legere, retinere, vendere, aut imprimere, vel imprimi facere audeat, seu præsumat; sed sub eadem pœna quicumque illud habent, Locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, statim atque præsentis prohibitionis notitiam habuerint, exhibere teneantur; Hi verò exemplaria sibi sic tradita, illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

§. 2. Ut autem eadem præsentis Litteræ ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illorum ignorantiam allegare possit; Volumus, et auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curie Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; Sic verò publicatas omnes, et singulos, quos concernunt, perinde afficere, et arctare, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, ac intimatæ fuissent; et ipsarum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem tam in Judicio, quàm extra illud ubique Locorum haberi, quæ haberentur, eisdem præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xxii. Martii MDCCLII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

D. Card. Passioneus.

Publicat. eodem die, mense, et anno.

ANNO
1752.Publica-
tionis ef-
fectus, et
fides ha-
benda præ-
sentium
Transum-
ptis.Dat. die
22. Martii
1752.